



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput I. De variis acceptionibus & divisionibus Juris & Justitiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)



INTRODUCTIONIS
AD
JUS CANONICUM
CAPUT I.

De variis acceptionibus & di-
visionibus Juris & Justitiæ.

*Juris Etymologia. Quid jus acti-
vè & passivè sumptum. Quid Jus Juris-
dictionis & Proprietatis. Justitia
varia acceptio, definitio &
divisio.*

I.

Variæ sunt de Etymologia Juris
opiniones. Franciscus Conna-
nus l. 1. Com. Jur. Civ. Jus dici pu-
tavit quod juxta sit. Majoragius l. 4. Misc.
c. 1. aliq; à juvando id derivarunt. Neu-
trum placet, cum utrumque durum sit,
& longius peticum. Melius Ulpianus l. 1.
ff. de Jur. & Just. Jus à Justitia denominavit,
vel tanquam objectum ab ipso actu seu
potentia, quemadmodum scibile à scien-

A

tia

tia, visibile à visu appellatur ; Vel potius tanquam artem seu scientiam à suo fine ; Cum enim Jus definiat hic Ulpianus ex Celso esse *Artem equi & boni*, sumitur in citata lege Jus pro scientia Juris, seu Jurisprudencia. Scientiæ vero & artes denominationem sæpè accipiunt à fine, quem sibi propositum habent, sic Grammatica dicitur ἀπὸ τῶν γραμμάτων, Logica ἀπὸ τῆς λόγος &c. pari ratione collectio præceptorum, seu *Ars illa equi & boni* à Justitia, quam sibi propositam habet, rectè denominari potest. Optimè Aristoteles & Isidorus ; Ille 5. *Eth.* c. 1. Jus activè sumptum deduxit à jussu seu jubendo ut nimirum sit hoc, quod vel DEUS, vel natura, vel Princeps, vel populus, vel civitas, vel consuetudo jubet. Isidorus vero l. 5. *Etymol.* c. 2. passive acceptum ab eo, quod justum est, derivavit ; Nam *Jus est dictum* per apocopen, *quia justum est.* *Dist.* 1. c. 2.

Porro justum duplici sensu sumitur ; Primò latè, pro eo quod rationi & legi Divinæ, vel humanæ conforme est, ideoq; ab Aristotele 5. *Ethic.* c. 1. justum legitimum, id est, *quod à legum latrice facultate definitum est*, appellatur, spectatq; ad Justitiam legalem perquam quisque

que reddit, quod debetur Reipublicæ, cujus ipse membrum est, & fundatur in debita rectitudine actionum, quæ sunt ad alterum, licet alter per hoc nullum sibi jus acquirat; Sic divites tenentur dare Eleemosynam pauperibus, hi tamen non habent jus vel actionem, qua eos cogere possint ad eam elargiendam. Deinde justum sumitur strictè pro eo quod est æquum & alteri debitum, sicque objectum est Justitiæ particularis, quæ est virtus cardinalis, prout infra dicitur *num. 3.* Hoc sensu Justum seu Jus acceptum tres requirit condiciones: Prima est, ut sit ad alterum vel realiter vel tantum moraliter distinctum; Quapropter licet inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, Dominum & servum in sensu morali non detur jus proprie dictum, cum filius sit pars moralis Patris, Uxor Mariti, & Servus Domini, quatenus nimirum subjacent voluntati Patris, Mariti & Domini; Datur tamen inter illos jus & justum simpliciter, ut sunt alii à se & distincti realiter, si nimirum comparentur inter se præcisè, ut homines sunt absque subjectione unius ad alterum, ideoque si Pater filios, maritus Uxorem, aut Dominus servos immerentes infamaret, mutilaret, aut occideret,

deret, injustè ageret. Secunda conditio est, ut sit debitum, adeoque illius violatione alteri fit injuria. Tertia est, ut sit æquale, vel saltem æquabile juri alterius, & eam ob causam non datur justum strictè sumptum inter DEUM & Creaturas, quia cum Creatura reddere non possit DEO æquivalens, non poterit etiam jus suum juri DEI æquare.

2. Jus active sumitur pro libera & legitima potestate aliquid agendi inducendo in alterum obligationem aliquam, quod proinde jus potestativum à Theologis appellatur; quo sensu dixit Jurisconsultus in Reg. 54. ff. *Nemo plus juris, id est potestatis, in alterum transferre potest quam ipse habeat.* Hac acceptione Jus bifariam dividitur: in Jus *Jurisdictionis*, quod felicitatem subditorum præcipuè spectat, & *proprietas* quod utilitati subjecti, cui inest, primario servit.

Jus Jurisdictionis vario sensu usurpatur. 1. Pro lege, sic Isidorus in c. 2. Dist. 1. *Jus generale nomen est, lex autem Juris est species;* ideoq; quæ lege naturali aut positiva præcipiuntur, aut prohibentur, dicuntur præcepta aut prohibita jure naturali vel positivo. 2. Pro Judicis sententia, diciturque hoc sensu

Ju-

Judex dictare jus, & Prætor jus reddere etiam cum iniquè decernit : Relatione scilicet facta non ad id quod ita Prætor fecit, sed ad illud, quod Prætozem facere convenit l. pen ff. de just. & jur. 3 Pro scientia legum seu Jurisprudencia ; Sic Ulpianus l. 1. ff. de just. & jur. ait : *Furi*, id est scientiæ legum, operam daturum nosse oportet, unde nomen juris descendat, & definitur ibidem : *Ars boni & recti*, quia licet in omnibus spectanda sit æquitas, in Jure tamen civili potissimum hæc requiritur. l. in omnibus quidem ff. de reg. juris. & maximè in jure Canonico, quod à Sede Apostolica, & Sacris Conciliis emanavit. Inde dicuntur Juris Studiosi, qui huic scientiæ dant operam, Jurisconsulti vel periti, qui eandem callent. l. 1. C. de Asses. l. 9. ff. de panis. l. 4. ff. de var. & extraord. cogn. 4. Pro loco in quo Jus redditur, appellatione collata ab eo, quod fit in eo, ubi fit. l. pen. ff. de just. & jur. Hinc illæ loquendi formulæ : In jus vocare, ambulare, in jure comparere ; *Quando ego te in jure conspicio*, inquit Cicero pro Murena. Neque tantum pro loco sumitur ubi Prætor aut Magistratus jus dicit ; Sed etiam in quo Judex Pedaneus

Judicat. l. 4. §. quod ait ff. de interr. in jur. fac. 5. Pro libris, quibus leges sunt comprehensæ. 6. Demum nonnunquam jus etiam pro necessitudine dicimus, veluti est mihi jus cognationis vel adfinitatis. l. fin. ff. de just. & jur.

3. Justitia, sic dicta quod jus sistat ac statuatur varie quoque accipitur. 1. Pro lege: Scitis quod docuerim vos præcepta atq; justitias. Deut. 4. v. 5. 2. Pro observantia legis, prout sumpsit Tullius l. 1. de leg. cum dixit, eam esse obtemperacionem legis. 3. Pro habitu gratiæ sanctificantis, quo homo efficitur DEO gratus, & justus, prout sæpè sumitur in sacris literis & Tridentino, quod Sess. 6. c. 7. ait. Unicam formalem causam justificationis esse justitiam DEI, non quia ipse justus est, sed qua nos justos facit: qua videlicet verè justus nominamur & sumus justitiam in nobis recipientes. 4. Pro collectione omnium virtutum, ut Philosophus 5. Eth. c. 3. ex Theocride dixit: Justitia in sese virtutes continet omnes. Et Zacharias apud Lucam c. 1. v. 75. Serviamus illi in sanctitate & justitia. 5. Pro cujuslibet virtutis habitu vel actu, sic quamlibet operationem honestam vocamus

camus opus justum ; Et Christus ait
Matth. 6. v. 1. Attendite ne justitiam ve-
stram faciatis coram hominibus. 6. Pro
 omni & sola virtute, quæ est ad alterum
 aliquo modo distinctum sive realiter, sive
 juris fictione ab operante, ut ei suum
 quoddam jus tribuat. Qua ratione com-
 plectitur non solum quatuor species ju-
 stitiæ strictè sumptæ, sed etiam Miseri-
 cordiam, Pietatem, Gratitude, Re-
 ligionem, Liberalitatem, Munificen-
 tiam & Obedientiam. 7. Denique stri-
 ctè sumitur pro Justitia particulari, seu
 speciali virtute morali, quæ tanquam
 virtus Cardinalis annumeratur Pruden-
 tiæ, Temperantiæ & Fortitudini *Sap. 8.*
Sobrietatem, id est Temperantiam, &
Prudentiam, docet & Justitiam & virtu-
tem, id est & Fortitudinem. De hac
 in præsentia agimus, & definitur ab Ulpia-
 no l. 10. ff. de just. & jur. *Constans &*
perpetua voluntas jus suum cuique tri-
buendi. In qua definitione loco generis
 sunt hæc verba: *Constans & perpetua*
voluntas, omnes enim virtutes volun-
 tatis sunt habitus vel actus ejusdem,
 pro quibus ibi voluntas sumitur, iique
Constantes, id est firmi, virtutis enim
 est firmare voluntatem in bono honesto;

ac perpetui, non ex parte actus; quod actus Justitiæ semper durare debeat, nec ex parte subjecti, ut inhaerere debeat subjecto, hoc est animæ rationali perpetuò, sed ex parte objecti, ut velit omni tempore & in omni re indemnitate alieni juris servare. Reliqua verba: *Jus suum cuique tribuendi*, ponuntur loco differentiae desumptæ ex proprio ejus objecto, quod est jus, ut est idem, quod justum ac debitum.

4. Justitiæ modo definitæ quatuor assignamus species: Legalem, distributivam, commutativam & vindicativam. *Legalis* spectat conservationem vel augmentum istius communitatis vel Reipublicæ, cujus quis pars seu membrum existit. *S. Thom. 2. 2. a. 6. & in 5. Eth. l. 3.* Dicitur quoque generalis, quia spectat bonum generale & commune, propter quod leges conditæ sunt; ideoque est virtus specialis distincta à cæteris, cum habeat speciale objectum, nimirum bonum commune, & specialem honestatem, quæ reperitur in hoc studio boni communis, quam nulla alia virtus specialis, neque etiam cæterarum collectio intendit. *Justitia distributiva* est virtus, qua Princeps aut Resp. distribuit commoda & onera communia intra membra communi;

munitatis servatâ proportionem ad merita singulorum. *Commutativa* quæ anonomasticè est *Iustitia* tribuit unicuique suum absque respectu ad merita, & sine comparatione unius ad alterum, curatque solum, ut constituatur æqualitas inter datum & acceptum, inter lucrum & damnum. Differunt hæc duæ virtutes inter se specie & essentialiter. *S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 1.* per aliam enim virtutem ordinatur totum ad partes suas secundum proportionem dignitatis singularum, & per aliam ordinatur pars ad partem, sive totum privatum ad aliud totum privatum, quia jus quod habet pars ad partem, est jus merè proprium ipsiq; debitum, ut seorsim spectatæ; Jus autem, quod habet pars ad totum, seu civis adversus communitatem est Jus ad aliquid commune possidendum cum proportionem dignitatis, quam habet in ordine ad bona communia, quæ cum fundent diversam valde rationem debiti, erunt quoque jura valde diversa. Differunt ergo *Iustitia* distributiva & commutativa in eo, quod hæc jus suum tribuat alteri tanquam toti privato, & metiatur æqualitatem debitam juri alterius secundum proportionem *Arithmetica*, illa vero jus suum tribuat alteri

teri

teri tanquam parti communitatis formaliter, & exigit æqualitatem secundum proportionem Geometricam. *Arist. 5. Eth. c. 3. & 4. S. Tho. l. c.* Justitia demum *vindicativa* est, quæ inclinatur ad puniendum delicta pœnam condignam pro gravitate delicti infligendo, ne nimirum nimia remissione libertas peccandi crescat, neque pœnarum severitas culpæ mensuram excedat. Hæc à cæteris Justitiæ speciebus supra enumeratis adæquatè distinguitur, prout inter cæteros more suo doctè ostendit P. Martinus de Esparza *quest. 22. de virt. justit.* de qua pluribus Theologicum Magistro in 3. Dist. 36. S. Thoma 2. 2. à *quest. 57.* & Philosopho 5. *Eth.* Nobis ad intentum nostrum hæc pauca hic delibasse satis est.

CAPUT II.

De divisione Juris proprietatis
in Re, & ad Rem.

Quid Jus in re seu Reale, & ad rem seu Personale. Quid mixtum. Quid Dominium proprietatis & Jurisdictionis. Quid Imperium merum & mixtum.

I.

Elebris est Juris proprietatis divisio ex parte objecti in *Jus in Re* & *Jus ad Rem.* *Clem. un. de sequest.*